



XI. 1^f = Q.

(cat. 4, 9-22.)



Jubelt:

1. Klausing, Hr., progr. (De beneficiis a Deo in acad. Lips. collatis). Lips. 1739.
2. Hoffmann, Joh. Gli., Schediasma historicum de Joh. Hofmanno primo acad. Lips. et autore et professore. Lips. 1710.
3. Mencken, Jo. Burch., Oratio secularis de viris eruditis qui Lipsiam illustrem reddiderunt. Lips. 1710.
4. Friederich, Jo., De studio lit. graec. & lat. Acc. narratiuncula de initiis et progressu literaturae politioris in hac academia. Lips. 1608.
5. Boehme, Joh. Glo., De Richardo Croco Britanno, graec. litt. in acad. Lips. instauratore. Lips. 1761.
6. Boehme, Jo. Glo., De Mauricii elect. in acad. Lips. insigni favore. Lips. vrb. 4.
7. Schwarz, Chr. Gli., Norimbergenses nonnullos de acad. Lips. bene meritos recenset. (AA.) 1714.
8. Boehme, Joh. Glo., Oratio de Ph. Melancthonis in acad. Lips. meritis. Lips. vrb. 6.
9. Kapp, Jo. Erh., progr. (De Joachimi Camerarii in acad. Lips. meritis). Lips. 1746.
10. Acad. Lips. progr. (De illis qui mensas novas in convictorio Lips. erexerunt, praecipue de Jac. Fr. Amthorio.) Lips. 1754.
11. Platner, E., Oratio de bonis acad. Lips. Lips. 1786.
12. Bavarus, Cünr., Jubilare carmen in acad. Lips. Lips. 1610.
13. Mulman, Joh., Zwei christlich Jubel-Festgedichte bey dem hundertenn Jubilæo acad. Lips. Lütz. 1609.
14. Weinrich, Ge., Zwei christl. Jubel-Festgedichte. Lütz. 1610.
15. Suppliment des Lützigen Gedichtes akademici jubilæi. Jaur 1710.
16. Cress, Adw. Chr., Supremi honores in panegyri seculari tertia acad. Lips. solemnissime Distributi carmine jubilante descripti. Lips. 1709.

17. Historiographi Jubal-Lind ou denu zeu drittancuul molabtan Jubelfest daz Unio. Lniyzig.
Lniy. (1709).
18. Hoffmann, Joh. Gli., Jubal-Lniy daz Unio. Lniyzig (Korditz), unbst. schediasmate episto-
lico von Joh. Hoffmanno, daz uorstan Uofabac dazac acad. Lniy. 1710.
19. Weber, Anan., Ecclesia et acad. lips. Lutherano-Evang. Oratio secularis. Lips. 1639.
(Schluß folgt.)
20. eadem; recusa. 1739.
21. Kromayr, Hier., Oratio panegyrica de pace religionis. (Lips.) 1655.
22. Bahrdt, Joh. Fr., De iniquis pacis religiosae osoribus. Lips. 1755.
23. Wechsler, Chr. Fr., praes. Joh. Fr. Bahrdt, De constantia et perpetuitate pacis Augu-
stanae. Lips. 1755.
24. Picul, Chr. E., des H. v. d. d. Lniy zing vdrue Solennia Lips. voruit J. Köniyiu Christianum
Hofpredican Abblaw aif daz Unio. bajan unar uor daz. Lniy. 1727.
25. Kay. Institutum, die Scholyn daz H. v. d. d. in ifrat Mruar ab Uolofon abloft bi daz
Unio. Lniy zing vdrue. J. J. daz daz 1729.
26. Abblaw daz conspiciuntan Statuti daz Succession daz Synoda bi daz Unio. Lniy zing
vdrue. J. J. daz daz 1672.
27. daz Unio. Lniy zing vdrue, uor daz fupfifco bi Uolobun. daz, Hofzritan, Kindtaifan
u. Lniy zing vdrue, aif in daz fupfifco uor daz uor daz. Lniy. 1634.
28. daz Unio. Lniy zing vdrue uor daz uor daz daz fupfifco Jurisdiction Uolobun bi Uolob-
un. daz, Hofzritan, Kindtaifan u. daz uor daz uor daz, uor in daz fupfifco uor daz uor daz
uor daz. Lniy. 1680.
29. daz Unio. Uor daz uor daz uor daz. Lniy. 1698.
30. J. Lobl. Unio. Lniy zing vdrue, uor daz uor daz daz fupfifco Jurisdiction Uolobun
in Kindtaifan uor daz uor daz uor daz uor daz uor daz. Lniy. 1698.
31. daz Unio. Lniy zing vdrue uor daz uor daz. (Lniy. 1641.)
32. L. Unio. Lniy zing vdrue uor daz uor daz. Lniy. 1673.

33. Königin Amalie, von ruff der Univ. Leipzig fünf neuen dooffstetun u. in
 Oben-Gold, des Jesu-Gnades Jaderuol gepeltau worden vollen. Leipzig. 1712.
34. Königin Amalie, von ruff der Univ. Leipzig fünf neuen dooffstetun des Jesu-
 Gnades Jaderuol gepeltau worden vollen. Leipzig. 1728.
35. Die Univ. Leipzig Anweisung an den Anwesenden zu Willigen Almosen, wann
 vorbrunden die vberstetung dars in die Stadt von vberstetunden Sallten. Leipzig. 1638.
36. ff. fide ubi des Kanonik Witten. D. D. Witten 1661.
37. Leges Alumnorum in acad. Lips. denuo publicatae. Lips. 1661.
38. Dinselbau. 1690.
39. Dinselbau. 1704.
40. Dinselbau. 1712.
41. Dinselbau. 1717.
42. Dinselbau. 1729.
43. Dinselbau. 1738.
44. Leges pro conuictoribus mensarum communium in collegio Paulino acad. Lips. 1601.
45. Dinselbau 1613.
46. Dinselbau 1625.
47. Dinselbau 1710.

∞



De studio Literarum

GRÆCARVM
ET LATINARVM:

Quem usum illæ præbeant in o-
mni disciplinarum genere ; Et quibus ex
fontibus cognitio earum hau-
rienda sit.

ORATIO

M. JOAN. FRIDERICHI

*VVolfeshusij Fr. Prof. utriusq. L. & Historia-
rum in Academia Lips.*

Accessit

Ejusdem programma ad studiosam juventu-
tem, cum novæ Professionis operas
ordiretur.

Et Appendix seu Narratiuncula, de initiis & pro-
gressu Literaturæ politioris, in hac
Academia.



Lipsiæ Excudebat Michael Lantzenberger,

ANNO 1608.



Τῷ λογιωτάτῳ
 τῆς ἑκατέρας γλώττης διδασκάλῳ,
 Ἰωάννῃ τῷ Φριδερεΐχῳ,
 κυρίῳ καὶ Φίλῳ παναρίστῳ,
 χαίρειν.

Ελλάς ποτε μὲν, ὦ Φριδερεΐχε, παιδουθήριον
 ὑπῆρχε τῆς οἰκυμένης· ὡσπερ καλῶς εἶπέ τις τῶν πάλα
 σοφῶν. ἀλλὰ νυνὶ (Φεῦ τῆς τύχης) ἐστὶ γέγονε τῶν πάνυ βαρβάρων
 καὶ μιαρῶν· ἐπέδῃ μᾶλλον ἐξ αὐτῆς, πάντων ἐξόριστοι, εἰς
 τὰς ἄλλοθι χώρας, καὶ πρὸ πάντων εἰς τὴν Γερμανίαν τὴν ἐνθάδε
 μετώκησαν. Συγχαίρω μὲν τῇ κλητῇ Γερμανίδι, κεκοσμημένη
 σοφίᾳ τε καὶ ἀρετῇ πάσῃ ἀφθόνως· ἀλλὰ τῆς πατρίδος οἰκείρω
 τὴν ἐρημίαν, τῆς ἀπεστερημένης τοσούτων ἀγαθῶν, εἰς τὸ διηνεκές.
 Σὺ δὲ, ὦ Φίλε πανάριστε, σπεῦδε γενναίως διαφυλάττειν τὰ κτή-
 λια τάδε, ὡς ἀληθῶς ὄντα παμμέγιστα· καὶ μετὰ δῶναι τοῖς νέοις
 τοῖς φιλομαθεῖσι τὰ πάνυ ἀξιοσέδασα γράμματα τῶν Ἑλλή-
 νων· εἰς δόξαν θεῶν ἔ τρισυγῆς, καὶ τὸ κοινωφελές τῆς πατρί-
 δος· ἢ ἀταλαίπωρον καὶ ἡσυχον ὑμῖν διασώζει ὁ μέγας καὶ
 παντοδύναμος ΣΩΤΗΡ ἡμῶν, Ἰπὶ μήκισον. ἴδ' ἔ, Φίλε, ὅπερ
 ἐβελήθης, ἐνέχυρον ἔχε τῆς πρὸς σε φιλοφροσυίας
 ἐμῆς. ἀλλὰ καὶ προσθήκην λάβε. Ποῖαν δὲ (Φῆς)
 ὦ ἀγαθέ; σωθῆ ὅ ἔχων· ἐλεηθῆ ὁ γράψας· ὁ δ' ἀναγινώσκων
 μετ' εὐλαβείας, εὐλογηθῆ ξυὼ ἀμφοτέρῳ, ὡς καὶ τῆς παναγιωτά-
 τῆς Τριάδος· Ἐξέωσο ἐν χειρὶ κάλλιπα, καὶ ἡμῶν μέμνησο.

* Titulus di-
 gnitatis τῶν
 Μητροπολιτῶν
 καὶ Αρχιεπισκό-
 πων in Ecclesia
 Græca. idem
 quod Gorma-
 nis Hochwir-
 dig.

* Legatus aut vicarius Patriarchæ
 vel Metropolitanæ; sicut aula Roma-
 na Sedis Apostolicæ legatum habet.

† ὁ σὸς κατὰ πάντα — Κοσμῆς Δε — μόρφης, ἐλέω θεῷ ἀρχι-
 εῖσκοπος Κορίνθου, καὶ * Ὑπέριμος, καὶ * Ἐξαρχος πά-
 σης Πελοποννήσου. †

Γραφὴν αὐτοχρῆί

Ἐν τῇ τῷ ἐπιφανέστατῳ Ἡμερόνῳ, ἔ Σιφνφόρε τῆς
 Σαξονίας, Ἀκαδημία Ἀψικῆ· ἔτσι χειρὶ
 * χ η. Μανὸς Μπίβ τῇ 6.



Amplissimis viris,

Sapientiâ, virtute, & usu rerum excellentissimis;

Dn. ANDREÆ GOLDTBECK,

Iuris utriusq; Doctori, & Serenissimi Electoris Sax. CHRISTIANI II. &c. Consiliario;

ET

Dn. VALENTINO KRAPPEN,

I. V. Doctori, & Electoralis Scabinatûs, qui est Lipsiæ,
Assessori.

Dominis officiosè colendis

S. D.

M. IO. FRIDERICVS.



*E*fero vobis, *Amplissimi viri*, typis descriptam, imò
in scriptam nomini vestro peculiariter, oratiunculam; quam
præterito Mense Martio, cum novæ Professionis meæ operas
auspicarer, in mediocri (quemadmodum meministis) Academia
nostræ frequentia habui. Causam ejus rei, si lubet scire, dicam
liberè. Perspexi voluntatem erga me vestram eximiam multis hætenus
iudiciis aliis; Sed eo vel maximè, quod publicam istam meam, in nova Pro-
fessione, inaugurationem vestrâ quoq; præsentia auxistis & ornastis appri-
mè honorificâ. Quod officium in me vestrum, ut plenum mihi visum est hu-
manitatis & benevolentia; Ita vicissim mearum existimavi partium esse,
vobis & officiosæ voluntatis meæ & decentis observantia hanc qualemcunq;
significationem ostendere: Cum præsertim essent, tum adolescentes studiosi
complures, tum alij, qui pagellarum istarum editionem instanter à me flagita-
rent. Fateor autem in argumento proposito, de studio literarum Græcarum
& Latinarum, multa à me & exactius tractari & explicari fusiùs potuisse;
præcipuè in altera parte, ubi de autorum delectu imitationisq; modo campus
dicendi latissimus fuit, in quem mea potuisset excurrere oratio. Sed (ut
dicam

dicam quod res est) defuit huic instituto meo tempus & otium; quod differ-
 ratio, praesertim illa posterior, requirebat. Nam fuit à Principe Serenissimo
 eodem propemodum mihi tempore commissa clementissimè Professio hac Aca-
 demica nova; quo simul ad me gubernatio Scholæ Senatoriæ in hac urbe, ab
 amplissimo ejusdem Magistratu, delata est. Quod utrumq; munus (ut sit inter
 initia) nonnihil animum mihi distraxit; fecitq; ut diâson. In istius argumenti
 plenior in aliud tempus, de industriâ rejicerem. Exhibebo verò illam
 studiosæ juventuti, quamprimum id, quod in constituendâ re Scholasticâ, præ
 manibus adhuc mihi est, *σὺν θεῷ* confecero. Quandoquidem enim mihi jam ea
 persona est imposita, ut discantium studijs, bipartitâ veluti operâ, inseruire me
 oporteat; æquum omninò est, ita rem institui ac geri ex utraq; parte, ut si fa-
 cultas officio non semper respondeat, conatus saltem improbari non possit.
 Interea autem ex oratiunculâ hac id planè confido studiosos adolescentes esse
 consecuturos; Ut & fructum, quem ex studio utriusq; Linguae discentes ca-
 pere possunt, sanè uberrimum, meliùs intelligant; Et quos autores sequi in
 dicendi scribendiq; exercitatione, quos fugere, aut cautiùs saltem imitari de-
 beant, non ignorent. Inprimis verò necessitatè & usum perspicient Græ-
 cæ Literaturæ in omni genere disciplinarum & Artium; quo ornamento, imò
 prasidio doctrinæ eximio, annis jam propè centum, Germaniæ Lycæa cunctis
 aliarum Nationum Scholis & Academijs antecesserunt. Agnoscunt
 hoc præclarum in nostra gente *Κεφάλαιον* etiam ij, qui ex mediâ oriundi Græciâ
 ad nos veniunt hodie; eoq; nomine felices & beatos Germanos predicant,
 qui tantum ex ruinâ Græciæ thesaurum acceperint, & constanter retinuerint
 hactenus; se miseros & infelices, qui amiserint. Quod inter alios nuperrimè
 suâ quoq; manu testatus est hic Lipsiæ, Cosmas de Morfis, Christiana
 Professionis homo, natione Græcus, vir apprimè gnarus scripturæ, & eru-
 ditus, nec indisertus in loquendo; quem Diplomata ἀρχιεπισκοπικὰ Archiepiscopum
 Corinthi, & Peloponnesi Exarchum esse confirmabant. Ejus ad me literulas
 volui cum oratione meâ hac publicè extare; ut vel hoc modo juvenus nostra
 excitetur ad studium & amorem literaturæ Græcæ; Idq; DEI donū singula-
 re gratis animis agnoscat, & ad posteritatè majori curâ & diligentia trans-
 mittere studeat. QVOD reliquum porrò est, à vobis, viri ampliss. amanter
 & officiosè peto, ut in optimam partem accipiatis hanc compellationè meam;
 & istâ erga me affectionem, quâ non obscure mihi declarastis hactenus, in po-
 sterum quoq; retineatis ac conservetis. Pro quâ singulari humanitate vestra
 (quemadmodum debeo) ad perpetuum me vobis amorem & observantiam
 austringo. B. valete. Ex Lycæo Senatorio, ad D. Nicolai. Feriâ 3. Nova
 Pentecostes, Anno Christi, CLD. LXX. VIII.

DE STV.



DE STUDIO LITERARVM,
GRÆCARVM ET LATINARVM,

ORATIO,

Dicta Lipsiæ, die IX. M. Martij,

Anno Christi M. DC. VIII.



Vocatum meministis, Auditores omnium ordinum excellentissimi & humanissimi, ex mortali hac & ærumnosâ vita, paucis ab hinc mensibus, Virum in Historiarum studio, & omni literatâ eruditione clarissimum, Dn. D. MATHÆVM DRESSERVM, hujus Academiæ Professore, per annos jam multos egregiè de studiosâ juventute meritum; nostrum in Communitate Philosophicâ Seniore & Collegam, dum fuit in vivis, omni honore dignissimum. Iacturam in hoc viro magnam fecisse Academiam nostram, imò rem ipsam literariam universam, nemo (ut opinor) inficias ibit, nisi cui ratio studiorum ipsius satis fortè cognita non est, neq; perspecta singularis illa ingenij vis atq; industria, quâ literas bonas, & artes, tum in hac schola, tum alibi, annos amplius quinquaginta, felicissimè discipulis explanavit. Autores certè bonos plerosq; omnes (ut novimus) Græcos & Latinos, Oratores, Poëtas, Historicos diligenter evolvit; abstrusa in iis & recondita protulit in lucem, obscura & dubia luculenter exposuit & illustravit; Neq; id solùm ore; sed calamo quoq; & scriptis in vulgus editis multiplicibus; Ut testantur tot illius Oratoriæ Commentationes,

& exercitationes Philologicæ in utraq; lingvâ; scriptio-
 nes item Historicæ variæ; quæ versantur passim inter
 manus studiosorum, & ab iisdem magna cum utilitate
 leguntur. Accessit ad hæc dicendi genus, in DRESS-
 SERO nostro, non affectatum, grande & tumidum;
 multò minùs incultum, horridum, & ab usu communi
 remotum (in quo non pauci novatores hodiè mirum
 quantum sibi placent) sed ex Ciceronianis deductum
 fontibus, simplex, apertum, facile, purum; Idq; ad do-
 cendi rationem & scribendi imprimis accommodatum.
 Quo utroq; adminiculo doctrinæ eruditæ, & orationis
 disertæ, effectum est, ut & studiosi adolescentes, etiam
 mediocres, ipsum magno cum fructu docentem audi-
 rent; & gentes exteræ, ad quas scripta ipsius pervene-
 runt, mirificè eum colerent & amarent. Id enim literæ
 creberrimæ doctorum hominum, ex variis locis & re-
 gionibus longè distitis, perscriptæ ad ipsum, abundè te-
 stantur. Hoc igitur ornamento eximio, per DRESSER-
 I obitum, nudata jam est Academia nostra.

Iubeor ego nunc conscendere hanc cathedram, do-
 ctore celeberrimo orbatam, ac veluti traditam ab illo,
 præceptore quondam meo, lampada suscipere; permutato
 Philosophicæ Professionis munere, in quo mea ha-
 tenus opera plurium annorum spacio, fortunâ per Dei
 gratiam mediocri, versata est. Id quo animo, quâve fi-
 duciâ faciam, ipsemet ego mihi optimè conscius sum,
qui & oneris novi, quod suscipio, magnitudinem, intel-
ligo; & meam in hoc genere ἀδυναμίαν atq; infirmitatem
 libens agnosco.

Quod si ea conditio rerum humanarum, aut ratio
 potius fatorum esset, ut votis aliquid proficeretur in hoc
 genere

genere; optârim equidem ex animo, aut licuisse nobis adhuc diu frui tanto Viro in Academia nostra; aut in locum ipsius (quia sic necesse fuit) successum fuisse quemvis alium, qui non solum sustinere expectationem hanc quæ est de successore piè demortui; sed etiam superare eandem multis modis, ingenio & doctrinæ eruditione posset. Verùm quia neutrum horum nobis contigit; & de me jam eò adducta res est, partim iudicio gravissimo inclytæ Communitatis Philosophicæ, in hac Academia, partim serenissimi Electoris subsequatâ voluntate ac comprobatione clementissimâ, ut omninò suscipienda mihi hæc Provincia sit, & ex hoc loco deinceps proponenda ea, quæ Professionis Lingvarum, Græcæ & Latinæ, & Historicæ ἐξήγησεως propria sunt: Quid aliud mihi reliquum est, quàm hoc unum, ut quò non possum ingenio, eò laboris & diligentia subsidio contendam; nec desperem in hoc officij munere laborioso, DEI præpotentis auxilium, à quo solo, in hoc curriculo vitæ mortalis, omnium consiliorum nostrorum actionumq; ac conatum prosperitas expectanda nobis est?

Scio autem in more sic positum esse, ex veteri quadam observatione, ut ii, qui publicè doctrinam profitentur liberalem, cum vel primùm exorsuri suas operas, vel novam aliquam Professionis suæ partem aggressuri sunt, de argumento aliquo necessario & utili verba faciant; partim ut dignitatem quandam & decus doctrinæ publicæ oratione disertâ & ornatâ concilient; partim ut adolescentes studiosos ad discendas bonas literas & artes, commonefactione ad rem accommodatâ, magis excitent, animosq; ad diligentia studium, verborum veluti facibus suppositis, inflamment. Quod dum ego quoq; mihi

*Cus
Oratio cuius
culis habent*

Argumentum
orationis.

mihî faciendum esse existimavi hoc tempore, delegi argumentum, neq; remotum à Professione meâ, neq; indignum ullâ parte, quod propter adolescentes studiosos, diligenter & accuratè hoc loco explicetur. *Dicam enim de studio utriusq; lingvæ, Græcæ & Latinæ; ostensurus primùm, quàm necessarium & utile illud sit in omni disciplinarum genere: Deinde quibus ex fontibus literarum cognitio, Græcarum & Latinarum, haurienda sit.* Idq; paucis agam, ne Auditorum hæc corona ornatissima, quam magnâ cum voluptate intueor, ultrâ quàm tempus finit, oratione meâ detineatur.

Oro autem officiosè Magnificum Academiae Rectorè, & cæteros omnium ordinû & dignitatû excellentissimos atq; honoratissimos viros, ut dicentem me pro egregia suâ humanitate audiant benevolè, & quæ in explicacione hujus argumenti commemoraturus sum, in optimam partem interpretentur. Adolescentes verò bonarum artium & literarum studiosissimos, pro meo in illos amore, hortor, ut non tantùm ea, quæ dicentur à me, cum attentione audiant: sed etiam lingvarum noticiam, omnemq; doctrinæ eruditionem, tanquam rem longè præstantissimam in hac vita, magnifaciant, atq; omni contentione & diligentia sibi ab ineunte ætate comparare studeant.

Neglectio ac
contemptus Ling-
varum Pestis
hodie studio-
rum liberali-
um.

INTER alias pestes studiorum liberalium, quæ passim hodiè invalescunt in scholis & Academiis, clademq; bonis literis ac perniciem extremam minitantur, postrema non est neglectio ac contemptus utilissimarum Lingvarum, quibus omnis sapientia humana, & doctrinæ eruditio continetur. Nam est ea horum temporum sive infelicitas, sive dementia & cæcitas, ut pauci sint, qui necessariis

fariis instructi adminiculis literarum, Græcarum & Latinarum, ad cognoscendas superiores disciplinas se conferant. Pleriq; certè lucri & honorum inflammati cupiditate, alto supercilio aspernantur hæc studia, quæ nimis nuda ipsis, primâ fronte, & exilia videntur. Ad artes autem eas, quæ splendorem quendâ præ se ferunt & eminentiam, præmiorumq; & opulentiaæ spem majorem ostentant, remis, quod dicitur, & velis ante tempus, admodum inconsideratè contendunt.

Quæ res planè exitiosa bonis literis & artibus, sive nostrâ tantùm culpâ, sive etiam fato quodam horum temporum accidit, cavenda sedulò, atq; omni studio ac contentione à liberalibus disciplinis avertenda est; adhortandiq; ad verum doctrinaæ ordinem assiduè adolescentes ac juvenes ingenui; repetitis subinde incommodis & periculis gravissimis, non solùm ipsis, sed universæ quoq; rei literariæ ex hac perversa ratione studiorum ingruentibus, nisi in viam redeant, veroque modo & tramite recto suum in literis cursum persequantur. Vt enim nautæ, concitatis in mari tempestatibus, cum gravius aliquod periculum navigantibus ingruere videtur, & ventorum impetu navis jam in hanc, jam in illam partem agitur & rapitur, eadem identidem repetendo, socios ad strenuè laborandum, & remis mare impellendum, incitare inclamando, & sese invicem exhortando instigare solent: Ità non pigeat nos, ubi cladem aliquam impendere studiis liberalibus animadvertimus, ad eam reprimendâ, aut quoquo modo retardandam (si penitus avertere non liceat) omnibus viribus, omniq; conatu conjungere operas, & conferre auxilia; ut literis bonis & artibus sua constet integritas, & doctrinaæ eru-

Ea modis omnibus avertenda.

B

ditio



ditio vera inter istos adversantis fortunæ veluti reflantes ventos probè stabilita consistat atq; perseveret.

Latina lingua utilitas, imò necessitas in omni disciplinarum genere.

Causæ autem, quæ incitare juventutem studiosam ad excolendas lingvas, & ad conjungendam cum superioribus disciplinis aliquam dicendi facultatem, inflammare debent, gravissimæ sunt; quas breviter recensendo perstringam. De Latina lingua dubium non est, eam non solum ornamentum esse in literato homine præclarum: Si nimirum, quæ mente involuta & recondita habet, genere sermonis usitato, puro & perspicuo explicare, ac cum aliis communicare possit: verum etiam in omni disciplinarum & artium genere adjumentum planè necessarium. Quæ enim doctrina est, quæ scientia, ad quam discendam simul & docendam latinæ non requirantur literæ? Hæ studia Philosophica alunt ac conservant, Medicinam sustentant; hæ Iuris scientiam penè universam continent, & Theologiam sacrosanctam adversus horrendas sectarum multiplicium impressiones egregiè muniunt & defendunt. Et certum est, tantò splendidiorē cuiusq; disciplinæ laudem & decus existere, quantò puriori genere sermonis atq; elegantiori continetur ac traditur: Quemadmodum rursus, sublato illius nitore & puritate, lucem omnem & splendorem in disciplinis simul aboleri atq; evanescere necesse est. Testes hujus rei esse possunt foedissimæ sordes, & tenebræ plus quàm Cimmeriæ superiorum temporum, quibus artes & disciplinæ omnes involutæ erant. Quas sordes, erroribus penè infinitis iisq; horribilibus stipatas, non aliunde, quàm ab ignoratione lingvarum in omne genus doctrinarum invectas fuisse, certum est. Verum paulisper hîc seponamus superiorum doctrinarum & Ar-

& Artium studia, quæ Latini sermonis puritate, elegantia & copiâ, si florere debeant, haud carere magis possunt, quàm splendore solis & luce diurnâ hi nostri oculi, ut rerum, quæ sunt in hac universitate, naturas formasq; differentes apprehendant & discernant. Spectemus solùm ipsas literas latinas, earumq; authores in omni doctrinæ genere politissimos, Ciceronem, Cæsarem, Sallustium, Livium, Terentium: addo etiam poëtas, Virgilium, Ovidium, Horatium: addo ex vetustioribus Plautum; ex junioribus Senecam, Suetonium, Tacitum, aliosq; illius ætatis scriptores præstantissimos, Oratores, Poëtas, Philosophos, Historicos. Quis se adeptum aliquid vel scientiæ eruditæ, & doctrinæ reconditæ, vel civilis prudentiæ, non nimis plebeïæ ac protritæ, affirmabit; qui sapientissimos illos & disertissimos autores, illos dicendi ac intelligendi principes, nunquam vidit, evolvit, legit? Imò quis in numero doctorum hominum atq; eruditorum se locum existimabit invenire posse, qui non ipse, quoties necessitas postulat, oratione Latinâ ad Ciceronis vel alterius auctoris politi imitationem expressâ, de rebus propositis verba facere, & animi sensa disertè explicare possit?

SED de oratione Latinâ minus fortè nobis laborandum est, ut illius necessitatem usumq; discipulis ostendamus; cum res ipsa loquatur in hac parte, & uberiori aliqua demonstratione haud indigeat. De Græcâ autem literaturâ major est controversia; an tanta ejus necessitas sit in disciplinis liberalibus, ut sine illius subsidio ad solidam perfectamq; rerum scientiam perveniri nullo modo possit. Et multi sunt hodiè, etiam qui se plus sapere, quàm cæteros, arbitrantur, qui dignitatem ha-

Græcia

Græca lingua à plerūq; hodiè tanquã minus necessaria, negligitur.

rum literarum, quas nunquam ipsi didicerunt, & necessitatem usumq; vehementer extenuant & deprimunt, & in alia quavis re potius quam Græcorum linguâ operam & tempus collocandum esse censent. Qua vituperatione nimirum efficitur, ut non pauci ex studiosa juventute vel profus Græcas literas non attingant, vel certè simulatq; leviter degustarint, eas temerè postea rejiciant & aspernentur. Sed quia admodum perniciofa bonis literis, & studiis liberalibus inimica hæc est opinio: omnibus modis extirpanda est ex hominum animis, & studiosi adolescentes adhortandi sunt diligentissimè, ut in pulcherrimâ hac linguâ, sine qua eruditio solida nequaquam constare potest, cognoscendâ plurimum studij, laboris & operæ consumant.

Græca literaturæ præstantia & dignitas, auctoritate & exemplo Ciceronis demonstratur.

In hac sententia legimus, jam olim fuisse Cicero-nem ipsum, qui filium adolescentem, Athenis sub Cratippo Philosophiæ vacantem, præclare monet, ut ne divortium faciat harum literarum; sed cum Græcis Latina diligenter jungat, & parem orationis utriusq; facultatem sibi comparare studeat. Id enim à se quoq; factitatum affirmat Cicero pater, non solum in Philosophiæ studiis, sed etiâ in dicendi exercitatione & eloquentia. Ac quâtū in hoc genere, studio & diligentia profecerit, unius Posidonij, Philosophi Græci, testimonio liquet.

* Plutarchus in vita Ciceronis refert, id apud Rhodios factum, ubi Apollonius, Molonis filius, hanc ei laudem attribuerit, quod eloquentiæ & doctrinæ ipsis etiam Græcis palmam præripuisset. Verba Plutarchi hæc sunt: Σὲ μὲν, ὃ κικέρων, ἐπαινοῦ καὶ θαυμάζω, τῆς δὲ ἑλλάδος ἀκλεῖστο τὴν τύχην ὄρω ἀμύνα τῶν καλῶν ἡμῖν ὑπελείπετο, καὶ ταῦτα Ρωμαίοις διὰ σε προσγιγνώμινα, παιδείαν

Hic enim cum Ciceronē adhuc juvenem Athenis* Græcè declamantē audivisset, protinus

tinus exclamaf
 fedicitur, quod
 folis relictam
 Græcis dicēdi
 & intelligendi

τε καὶ λβγον, id est, Laudo te quidem & admiror, Ci-
 cero; calamitosam autem Græciæ fortunam deploro;
 cum videam illa, quæ sola nobis Græcis bona reliqua e-
 rant, eadem etiam per te ad Romanos transferri, do-
 ctrinam dico & eloquentiam. Simile quid de Argy-
 ropylo Byzantino & Capnione scribitur.

gloriam videret ad Romanos per eum transferri. Nec
 diffimulat ipse Cicero jam senex, Græcæ lingvæ cogniti-
 onem sibi ad dicendum & judicandum profuisse pluri-
 mum; tūm etiam multis aliis doctis viris, & ad sapientiæ
 & ad Eloquentiæ vim, magnum adjuventum attulisse.

Latinorum certè lingva, si quis solam eam sibi fe-
 quendam existimet, sine Græca, planè est manca & im-
 perfecta: cūm Græcarum vocum accessione plurima-
 rum aucta & locupletata sit. Nec fieri ullo modo po-
 test, ut latinum sermonem in monumentis veterum au-
 torum, qui studiosissimi fuerunt elegantia Græcæ, per-
 fectè quisquam intelligat; nisi Græcarum literarum ad-
 jumenta simul ad eorum lectionem afferat. Quæ res
 iis potissimūm nota est, qui in veterum tūm Oratorum,
 tūm Poëtarum enarratione versantur. Passim enim ibi
 vocabula occurrunt ex Græcis oriunda, sed Latinâ do-
 nata civitate, quæ difficultatem in docendo non exigua
 Græcæ lingvæ imperitis interpretibus pariunt. Præ-
 cipuè autem in Latinorum Poëtarum scriptis, locutio-
 nes sese offerunt creberrimæ, à præceptis latinæ συντάξε-
 ωs omninò discrepantes; quarum rationem sine noticiâ
 Græcarum literarum explicare nemo potest.

Latina lingva
 sine Græcis li-
 teris manca &
 imperfecta est.

Sed nè quis ex hac nostrâ commemoratione eam
 fortè opinionem imbibat; tantūm literatoribus, & ho-
 minibus (ut vocant) de scholâ, convenire ista lingvarum
studia, cæteris autem ad graviora cogitantibus Artium

Cognitio lin-
 gva Græca nō
 solum otiosis
 (ut vulgò pu-
 tant) literato-
 ribus inservit;

ac disciplinarum genera, nihil aut parum inservire; Agite, adolescentes studiosi, universum disciplinarum campum mecum animo percurrite; & quid Philosopho, quid medicæ artis studioso, quid Jurisperito, quid denique Theologo conferat hujus lingvæ noticia, paulò diligentius, si lubet, perpendite.

Sed est ornamentum præclarum.

Non dicam nunc, ornamentum homini erudito, in quacunq; versetur disciplinâ, conciliari egregium ex literaturâ Græca; Si, quæ passim ab oratoribus, Poëtis, Philosophis, & Historicis sapienter tradita sunt, evolvat, atq; inde ad suum institutum commodè & tempestivè transferat. Referta enim sunt Græcorum monumenta vetera præceptis sapientiæ, omnis generis, saluberrimis, quæ prudenter adhibita ad artes & disciplinas liberales, mirum iis splendorem & decus adjungere solent.

Imò necessarium eruditionis & doctrinæ adminiculum, in omni disciplinarum genere.

Id præcipuè jam dispiciamus; an affirmari constanter & verè possit, in nulla disciplinâ ad laudem eruditionis perfectæ ac solidæ pervenire quemquam posse, nisi qui reliquis cum literis aliquam Græcæ lingvæ cognitionem jungat. Hoc verò tam certum indubitatumq; est, ut meritò supervacanea videri possit opera, si quis verbosius id demonstrare velit.

Tota Philosophia continetur Græcis literis.

Nam si spectemus studia Philosophiæ, nullam profectò illius partem inveniemus, quæ lingvæ hujus adminiculo carere possit. Continentur hac omnes artes dicendi & ratiocinandi: continentur disciplinæ de motibus superiorum corporum, de naturâ rerum, de vitâ & moribus: nec quidquam est in hoc toto genere, quod non à Græcis Philosophis sapientissimis exactè traditum explicatumq; sit.

Hos si eripiamus Philosophiæ germanæ ac veræ; quid

quid nisi imago quædam illius, aut saltem umbra in Latinorum interpretum monumentis relinquetur?

Idem iudicium esto de Medicinâ, quæ tota & ipsa ^{Item Medicina.} Græcorum debetur literis. Testes præcipui sunt, magnus ille Hippocrates, & nobilissimus ejus interpres, Galenus, autores ambo Græci; à quibus Medica ars constituta primùm, multisq; modis amplificata & aucta, ferò demum ad gentes alias pervenit. Testes ipsæ quoq; morborum penè omnium appellationes; imò & Pharmacorum; quæ, cum è lingua Græcorum originem trahant, sine illius adminiculo neq; intelligi à quoquam commodè, neq; aliis explicari possunt.

Sed quid de scientiâ Juris ac legum; quam pleriq; ^{Scientia quoq; iuris sine hoc adminiculo consistere nequit.} hoc commendant & ornant privilegio, quòd inter alias disciplinas & artes, minimè omnium subsidio hoc Græcæ literaturæ indigeat? His ego mentem meliorem precor; ut quæ veræ ac genuinæ Iurisprudentiæ vis ac dignitas sit, rectiùs animo perspiciant & intelligant. Esse ac fuisse magnos & scientiâ legali antecellentes viros, in aulis Imperatorum, Regum, Principum, in florentioribus Rebuspublicis, in foro passim & dicasteriis, qui citra lingvæ Græcæ noticiam obeant, & obierint olim præclarè sua munia, non equidem inficias eo: Sed in scholis, in Academiis, interpretari & docere jus civile, legum sensus veros & abstrusos eruere, depravata restituere, quæ obscura & ambigua sunt, illustrare; Id verò citra cognitionem Græcarum literarum haudquaquam fieri posse assevero. ⁷⁸ Opus enim est ad eam rem, ut ^{Multa Græcæ scripta, quæ nōsse I.C. oportet.} non ignoret Iureconsultus Philosophiæ partem illam, quam de moribus & civili prudentiâ tradidit Aristoteles: opus est, ut historias Græcas, in quibus multæ leges, vari-

variæq; Rerumpub. formæ continentur, intelligat; ut Iustiniani Novellas (τὰς Νεαρὰς) in eâ lingvâ, qua scriptæ ac promulgatæ sunt ab Imperatore Græco, aliaq; innumera Iureconsultorum Græcorum responsa, probè exacteq; perspiciat ac cognoscat. Taceo jam monumenta illa Græcorum Iuris interpretum præclara, in quibus multa, ad civilem pertinentia scientiam, abstrusa & recondita explicantur: Harmenopuli dico ἐξάβιβλον seu πρόχρον νόμων; Theophili Antecessoris illam nobilem & doctam ᾠδίφρασι; & præter hæc, opus istud egregium τῶν βασιλικῶν, quod universi Iuris Romani σύνψιν luculentam, libris sexaginta descriptam, legalis scientiæ studiosis exhibet. Non etiam attingo fragmenta Græca, quæ reliquanobis mansere, ex interitu multorum in hac disciplina nobilissimorum operum; quale fuit inter alia Æmyl. Papiniani volumen de legibus Municipalibus; ἀστυνομικὸν μονόβιβλον græcè inscriptum; Thalelæi item Antecessoris Pandectarum μετάφρασις Græca, apprimè veterum Iureconsultorum scriptis nobilitata; & id genus alia.

Sciens quoq; prætereo thesaurum illum insignem Iuris Græco-Romani, tam Canonici quàm civilis; quem è variis Europæ Asiæq; Bibliothecis, vir olim excellentissimus IOHANNES LEVNCLAVIVS cellegit, & nō ita multis abhinc annis eximius Iureconsultus MARQ. FREHERVS primùm in lucem edidit. Hæc verò omnia, cum Græca sint, cognitionem profectò ejus lingvæ non vulgarem desiderant in Iureconsulto, qui solidæ eruditionis ac scientiæ laudem in hoc genere affectat.

Sed video, quid hîc objiciant illi, qui Græcam literaturam, ceu supervacaneam & inutilem, exterminatam

post 4. folia. è lu.
13.

è Jurisprudentiæ finibus, & ad literatores (quemadmodum ipsi putant) ociosos remissam cupiunt. Eorum omnium, inquit, quæ jam commemorata sunt, interpretationes latinas doctissimorum hominum extare; ac proinde nullâ esse causam necessitatève, quæ juris studiosum ad discendas Græcas literas magnopere invitare aut impellere queat.

Hic verò diligenter attendant adolescentes studiosi, & de ea re totâ sic statuunt; nullam in quacunq; disciplina conversionem, aut si mavis, interpretationem tam accuratam esse & exquisitam, ut non interdum aliqua vel malè detorta & depravata, vel dubia certè & ambigua, vel nimis etiam obscurè tradita ab interpretibus & magis involuta, quàm explanata videantur. Fit enim in hoc genere τῆς ἐμπνεύσεως, ut iis, qui aliorum scripta interpretantur, hæc duo imprimis occurrant vicia; quorum unum dum cavere volunt, in alterum facilè per imprudentiam incidunt. Nam aut, dum fidi & exquisiti interpretes haberi volunt, verbum simpliciter è verbo reddunt, atq; ita rem ineptâ sua diligentia sæpè magis obscurant, quàm explicant; aut dum evitare hoc vicium, & aliquem orationis splendorem assequi cupiunt, longiùs interim ab ipsa sententia deflectunt atq; aberrât. Eâ ratione fit nimirum, ut si universam interpretum turbam excutias & examines, vix unum reperias atq; alterum, qui veri perfectiq; interpretis officio functus esse videatur. Præstat itaq; in omni doctrinarum genere fontes ipsos perquirere, quàm turbidos & dubios interpretationum confectari rivulos.

His rationum momentis si qui nondum voluerint

cedere, eis ante oculos constituo exempla multorum ce-

C

leberri-

*Jureconsulti
celebres, Græca
lingua pe-
ritissimi.*

*Latine inter-
pretationes sæ-
pè vitiosa.*

leberrimorum Iuris Antistitum; Alciati, Budæi, Duarenii, Cuiacii, Tiraquelli, Hottomanni, Donelli, Brissolinii, Giphaniij, Gothofredi, & similium; qui ut excellentissimi in juris scientia, ita Græcæ lingvæ peritissimi fuerunt omnes; & hoc politioris doctrinæ adminiculo multa in legibus depravata feliciter restituerunt, multa in iisdem obscura & dubia ingenij & doctrinæ lumine illustrarunt & declararunt.

*Vtilitas Græcæ
lingvæ in Sa-
crof Theolo-
giæ studio.*

Venio tandem ad Sacrosanctam Theologiam, cui non minus quàm cæteris disciplinis lingvam hanc, de qua loquimur, inservire, certum omninò indubitatumq; est. Etsi enim diversissimæ res sunt, cælestis illa captumq; omnium mortalium exuperans sapientia, & hæc artium ingenuarum lingvarumq; doctrina: tamen multum lucis hanc illi afferre, scriptores etiàm Ecclesiastici eruditissimi ac gravissimi confirmant, qui doctrinam Evangelii fructibus in arbore, lingvarum hanc literarumq; doctrinam foliis venustissimè comparant.

Quemadmodum enim folia tegunt & ornant fructus: Sic doctrina hæc non quidem addit aliquid verbi divini dogmatibus; attamen adminiculum est non solum in explicatione eorum, sed etiam propugnatione valdè necessarium. Et quis est, qui Græcæ præsertim lingvæ utilitatem in hoc doctrinæ genere non videat, aut intelligat? cujus scilicet beneficio Novi Testamenti libros, in quibus fons unicus vitæ & salutis humanæ ostenditur; imò & Veteris *μετάφρασην* græcam, sine interpretis ope legimus; orthodoxos & sanctos patres, quotquot græcè scripserunt, cum fructu evolvimus, & hæreses antiquas varias, magnâ vi passim hodiè renascentes, veteris seu primitivæ Ecclesiæ gladio, hoc est, verbis & sermone

sermone jugulamus. Meminerunt certè majores nostri, quantum superiori seculo, cum adhuc (ut ità loquar) dormitarent lingvarum & artium bonarum studia in his regionibus, quantum (inquam) fuerit tenebrarum in plerisq; doctrinæ sacræ partibus, quàm variæ dissidentium inter se, ac planè falsarum atq; impiarum opinionum conflictiones & pugnae.

Quamprimum autem lingvarum studia & artium bonarum excoli apud nos cœperunt, paulatim barbaries illa, quæ passim & in hoc doctrinæ genere, & disciplinis aliis regnabat, cessavit; Et sacræ literæ quendam quasi nitorem recipere cœperunt, articulis fidei plerisq; omnibus clarissimè explicatis illustratisq;. Quo etiam beneficio, DEI æterni benignitate, in hunc usq; diem, cum magno Ecclesiæ Christi incremento & animarum nostrarum salute indubitata, perfruimur.

Intellexistis jam, adolescentes studiosi, quanta necessitas lingvarum & utilitas sit in Philosophia, in arte Medicâ, in scientia juris, & in ipsa quoq; sacrosancta Theologia: Quæ nimirum disciplinæ omnes sine hoc literarum adminiculo, quamvis id tenue multis & exile videatur esse, constare nullo modo possunt. Adjici- am & hoc, & loquar (cum veniâ tamen coronæ auditorum lectissimæ) satis gloriosè; nostris scilicet, post DE- VM, deberi literis & studiis, quòd aliquis hodiè status etiam imperij in hac communi patria nostra supersit, & quòd in ea leges, quòd justitia, quòd disciplina integra inviolataq; conservetur. Si cui admirabilior hæc nostra assertio visa fuerit, existimanti fortè splendidiùs hæc prædicari, quàm videatur res ipsa mereri; Ille oculos convertat ad ea loca, ex quibus lingvarum artiumq; bo-

*Salus Reipub.
literis hisce no-
stris cōtinetur.*

narum studia ejecta sunt & exterminata; deq; immanitate barbarici, quæ ibi regnat, paulò diligentius cogitet; Et vera nos hîc commemorare, absq; omni dubio, sponte confitebitur. Ac nè tempus adducendis exemplis

*Athenae
his
seculis*

aliis jam consumamus, agite ponamus nobis ob oculos, si placet, vel solam urbem Græciæ ATHENAS, quæ officina olim fuit elegantissimi, & tantopere omnium ore celebrati sermonis Attici, materq; liberalium disciplinarum omnium, à qua humanitas, doctrina, religio, fruges, leges ortæ, atq; in omnes terras distributæ putantur, ut Cicero pro Flacco loquitur. Hæc urbs tam elegans, tam erudita, exulta, & totius orbis quasi schola,

quid est hodiè, postquam literas à se projecit, & lingvæ politissimæ decus amisit (perhibentur enim, qui nostrâ jam ætate Athenas incolunt, omnium barbarorum esse βαρβαρικώτατοι) Quid est, inquam, cum totâ illâ veteri Græciâ, nisi stabulum nefariorum DEI hostium, & schola blasphemiarum Mahometicarum, ac turpitudinis atq; licentiæ plusquam beluinæ officina? Nulla pietas ibi reliqua, nulla religio, nulla virtutis honestatisq; cura. Idem

Alexandria

urbi Alexandrinæ in Ægypto, quæ multis seculis scholarum penè omnium Metropolis fuit; Idem Constantinopolitanæ, quæ & ipsa longo tempore hospitium disciplinis liberalibus, & earum Professoribus præbuit, postquam servitute Turcicâ oppressa fuit, pulsus literarum & doctrinæ studiis, contigit.

Quæ cum ita sint, adolescentes studiosissimi, facile intelligitis, quanta sit dignitas harum literarum, de quibus verba jam facimus, & quanta utilitas: Quæ & ad diligentiam studium in his excolendis incitare vos, & ad gratias DEO pro tanto hoc beneficio agendas immortales,

tales, inflammare meritò debet. Æquum etiam est, gratis vos animis agnoscere & deprædicare studium operæ & diligentia indefessæ, summorum & in omni doctrinæ genere excellentissimorum hominum, qui immenso labore & industria incredibili perpurgârunt fœdissimum istud Augiæ, aut si mavis, barbariei stabulum in hisce terris; quiq; exterminatis & eiectis ignorantia fordibus, politiores istas linguas & literas ubiq; in scholas & Academiâs introduxerunt. Eminent in horum numero illi duo veluti *Φωσῆρες* nostræ quondam hujus & vicinæ VVittembergensis Academiæ, Magnus ille PHILIPPVS MELANCHTHON ac IOACHIMVS CAMERARIVS; qui ambo conjunctis quasi viribus fordes superiorum temporum ex hac utraq; scholâ, imò ex omnibus Germaniæ Lycæis depulerunt, & Musas politiores è media Græciâ, foroq; Romano, hoc est, linguas hæc literasq; elegantiores ex omni sapiente & eruditâ antiquitate evocârunt.

Hi fontes aperuerunt doctrinarum & artium; unde limpidissimi eruditionis rivi in campos omnium disciplinarum uberrimè redundârunt. Metellus olim, ut est apud Plutarchum, diis gratias agebat; *ὅτι παρ' ἄλλοις σὸν ἐγένετο Σκιπίων*, id est, quod non apud exteros Scipio natus fuisset. Quid nos? Ingrati certè essemus in DEVM, ingrati in homines, ingrati in ipsas literas, & artes nobilissimas; nisi divinitus hæc duo Germaniæ lumina ad literarum & doctrinæ instaurationem excitata agnosceremus. Coepit autem CAMERARIVS, præceptor communis, docere bonas literas, & declarare auctores utriusq; linguæ præcipuos in hac Academiâ, anno CHRISTI, post millesimum, quingentesimum, quadrage-

Linguarū & omnis elegantioris doctrinæ instauratores in Germaniâ Philip. Melanchthon & Ioach. Camerarius.



dragesimo primo; quo Tubingâ accitus fuit à laudatissimo Saxoniae Duce HEINRICO; eumq; laborē in hoc ipso loco, quo jam congregati sumus, continuatâ Professionis operâ, deduxit usq; ad annum septuagesimum quartum, quo vir incomparabilis, præclare de omni posteritate meritus, in Christo piè & placidè ex hac vitâ discessit.

Ante Camerarium in hac Academia Græcas literas docuerunt:

Rich. Crocus Brit.

Joh. Metzler. Petrus Mosellanus.

** Huc referatur appendix de initiis & progressu polit. literaturæ in hac Academia, calce orationis adjecta.*

Epitaphium Mosellani.

Ante verò CAMERARIUM, annis ab hinc paulò minus centum, in eadem hac scholâ lingvarum doctrinam juventuti studiosæ cum magna laude tradiderunt RICHARDVS CROCVS BRITANNVS, IOHANNES METZLERVS SILESIVS; Et qui illos antecessores suos non ætate, sed ingenio & doctrinâ, facile superavit PETRVS MOSELLANVS: QUOS CAMERARIVS noster & adolescentulus, circiter annum ætatis decimum sextum & septimum, cum magno fructu hîc Lipsiæ, in Græcorum autòrum enarratione, audivit: Maxime verò CROCVM, & deinde MOSELLANVM, virum quidem ætate adhuc juvenem, sed animo senem, & in omni liberali doctrina, Græcâ tamen inprimis literaturâ, *εἰς ἀκρον ἑλληλακότα*; cujus Epitaphium, quod in templo D. Nicolai in ære incisum legitur, non pigebit honoratissimos auditores cognoscere; Idq; non solum ob MOSELLANI merita quondam in nostram hanc Academiam; sed etiam ob authoris, discipuli nobilissimi, IVLII PELVGII, Numburgensis postea Episcopi, singularem pietatem & gratitudinem, quâ Præceptorem de se benè meritum, post obitum quoq; prosequendum esse duxit. Epitaphium, satis sanè politum pro ætate illâ, sic habet;

*CONDITUS exiguo jacet hoc sub marmore PETRVS,
Nobile cui nomen clara MOSELLA dedit.*

Attica

*Attica quo primùm hic audita interprete lingua est,
Cum docuit Grajo Teutonas ore loqui.*

*Et Latia veterem lingua revocavit honorem,
Nativumq; illi reddidit arte decus.*

*Ipsius eloquium, vivo Cicerone, probasset
In medio quondam Roma diserta foro.*

*Magnâ etiam coluit pietate oracula CHRISTI,
Et sanctis studiis consona vita fuit.*

*Ipsè, suâ vivens quod spe votisq; petebat,
In gremio ut vivat, da bone CHRISTE, tuo.*

I V L I V S P F L V C K

P R Æ C E P T O R I C H A R I S S I M O F.

Positum

ANNO, POST NATALEM CHRISTI,

M. D. XXXIII.

M. I V L I O.

EXpedivimus jam, Auditores honoratissimi, primum illud, quod ad dicendum hoc tempore nobis propositum fuit; Quæ nimirum necessitas sit atq; utilitas literarum Græcarum & Latinarum in artibus & disciplinis cæteris. Nunc transeundum nobis esset ad alterum membrum orationis, & similiter ostendendum juventuti studiosæ, quibus ex fontibus cognitio istarum literarum haurienda sit, hoc est, qui nam præcipuè legendi Autores Græci & Latini, qui copiam orationis puræ, elegantis & disertæ discantibus suppeditent. Sed quia campus hic dicendi de autoribus utriusq; lingvæ & eorum delectu, latissimè patet; & verò temporis, quo oratio hæc nostra circumscripta est, brevitatis uberio-

*Alterum
membrum
orationis.*

ca

ea de re commonefactionem non admittit; de industria in aliud tempus hoc ipsum argumentum rejicio.

*Latinitas tri-
bus velut eta-
tibus distincta;
Quarum 1. li-
buit dicere γι-
νομένην, nascē-
tem. 2. is α-
μύν η ἀκμά-
ζουσα, id est,
vigentem; 3.
παράκμαζου-
σα, senescen-
tem.*

Sed tamen, ut de re totâ brevissimè studiosis adole-
scentibus mentem meam aperiâ, TRIBVS VERBIS
TRES PRÆCIPVAS ÆTATES constituo latinorum Au-
torum. Græcos enim hîc omitto, cum de lingua hac
minùs controversa res sit. Earum prima veluti NA-
SCENTEM habuit latinitatem; altera VIGENTEM;
postrema SENESCENTEM. Nam, quæ ipsius hominis
& aliarum rerum in hac universitate penè omnium natu-
ra est atq; conditio, ut primordia quædam ortus sui & in-
crementi habeant; à quibus ubi ad maturitatem ac ve-
luti ἀκμὴν progressæ sunt, deinde paulatim iterum minui
& decrescere incipiunt, donec exactâ quasi & decursâ æ-
tate penitus tandem moriantur atq; intercidant: Eadem
quoq; Latinæ seu Romanæ lingvæ ratio est, quæ primùm
ab exiguis progressa initiis, postea per intervalla tempo-
rum mirificè crevit, donec tandem studio & diligentia
disertorum hominum politissima effecta, rursus incli-
nari paulatim ad interitum, & velut elangvescere cœpit:
deniq; etiam tot barbarorum impressionibus in Italiam,
penitus prolapsa & extincta est.

*NASCENS
Latinitas.*

NASCENTEM verò latinitatem ampliori significatu
eam voco; quæ non solum primordia Romani sermonis
ab urbe conditâ, proximis aliquot seculis continet; de
quibus sanè, qualia fuerint, parùm ad annos penè quin-
gentos memoriæ proditum est; sed etiam ad illius secu-
li, quod proximè Ciceronem antecessit, memoriam sese
extendit. Etsi enim illâ ætate jam aliquo modo ve-
lut roborari latinitas, & studio doctorum hominum ex-
ornari cœpit; Tamen à suâ perfectione adhuc multum
abfuit.

*v. p. 12 supra
2i*

abfuit. Horridioribus quippe verbis illi primi velut architecti sermonis Romani in loquendo scribendoq; usi sunt; Et sine cultu etiam & delectu valuit oratio. Referuntur itaq; ad hanc classem sive ætatem primam, authores lingvæ latinæ omnes, qui jam inde ab ortu primo & incremento latinitatis, ad Ciceronis usq; ætatem in urbe floruerunt; Quales fuere post *Appium Cæcum* & *Livium Andronicum* (nam hi duo verustissimi omnium memorantur) *Ennius* ille, juxta Nafonem, — ingenio maximus, arte rudis; *Cato Major*, *Censorius etiam dictus*; *Cornelius Cethegus*, primus eloquentiæ laude (qualem ferebant illa tempora) nobilis; Et qui hos sunt insecuti, *Navius*, *Cacilius*, *Pacuvius*, *Accius*, *Lælius*, *Scipio*, *Gracchus uterq;*, *Sævola*, *Crassus*, & alij ejus ætatis quàm plurimi; quibus quidem ingenia non defuerunt, neq; eruditio isti seculo conveniens: Attamen orationis genus, quo tunc usi sunt, non fuisse purum & excultum, partim ex sententiis ipsorum & versibus, qui reliqui nobis sunt, partim Ciceronis & aliorum autorum testimoniis liquet. In hac quoq; classe *Plautum* ipsum colloco & *Terentium*; sed novissimos illos, atq; in eo genere purissimos; ut qui ad Ciceronis tempora, si præsertim spectes *Terentium*, propiùs quàm cæteri, accesserunt.

Vigentem porrò ætatem lingvæ & elegantiaæ Roma- *VIGENS.*
næ appello *Ciceronianam*, quâ perfectionem veluti suam adeptæ est vera ac genuina latinitas. Nam quicquid unquam Romana habuit facundia, id (inquit Seneca) circa *Ciceronem* effloruit; Et omnia ingenia, quæ lucem studiis liberalibus attulerunt, tunc nata sunt. Celebrantur autem in hac classe, propter egregia literarum monumenta, præcipuè, *Tullius ipse Cicero*, dux & antefi-

D

gnanus

gnanus facundiæ Romanæ, C. Iul. Caesar, Cr. Sallustius, T. Livius; Et ex poëtis P. Virgilius Maro, Q. Horatius Flaccus, Valer. Catullus, Albius Tibullus, S. Aurel. Propertius Ovidius Naso, & alij non pauci, quorum ingenio & industriâ, deterfo prioris seculi squalore, Latini sermonis integritas ad summum puritatis & Elegantiæ gradum perducta fuit.

SENE-
SCENS.

Quod ad *Senescentem* ætatem attinet, eâ comprehendendo, quicquid authorum Latinorum post Ciceronis istud politissimum ævum floruit. Paulatim enim tunc

Petrus Crinitus, ex sententia P. Mirandula, triplices facit scriptores lingvæ Latinæ. ROMANI (inquit) omnes in suo genere pressi, elegantes & proprij: ut Caesar, Cicero, Sallustius, Livius, Tacitus, &c. HISPANI florentes, acuti, & qui ad peregrinum inclinent, veluti Quintilianus, Seneca: Quibus addit etiam Suetonium & Plinius: PUNICI & Carthaginenses duri, audaces, improbi, ut Apuleius, Capella, & horum similes. Et ex his (inquit) PRIORES Romanum ius servârunt, ac nulla prorsus vicia in sermone admiserunt: SEQUENTES ab his declinarunt: TERTII palam aberrantes virtuti vitium pratulerunt. De honesta disc. lib. 8. cap. 3.

iterum (ut cum magno Peifero loquar) defluere coepit flos iste Tullianæ eloquætiæ, & in deterius quotidie magis ac magis delata res est: Quod passim ipsi fatentur authores Latini, qui in ea tempora inciderunt; ve-

luti Seneca, Plinius secundus, Corn. Tacitus, C. Suetonius Tranquillus, & alij horum æquales. Sed tamen hi omnes, si cum iis conferantur, qui proximè secuti sunt, Apuleio, Sidonio, & similibus aliis longè deterioribus, laudem sanè puritatis & elegantia in sermone Latino merito retinent.

Hæ igitur sunt ætates, quas dixi, latini sermonis, de quibus si iudicium meum requiras; Quænam ex his ad imita-

imitationem orationis latinæ, tam solutæ quàm numeris adstrictæ, eligenda imprimis sit, pro MEDIA respondebo. Hæc enim est, quæ sinu quasi foecundissimo effudit, quicquid elegantia & ornatus in Romano sermone esse aut cogitari potest. Quem igitur potius sequentur adolescentes studiosi in comparandâ orationis latinæ elegantis & disertæ copiâ, quàm ipsum Ciceronem? Hic est Oratorum ille Princeps, ac Coryphæus eloquentiæ Romanæ, in quo virtutes istæ, quæ vix singulis aliis datæ sunt, universæ conspirarunt. In hoc cernitur vis illa laudata Demosthenis; in hoc copia Platonis, suavitas Isocratis, & quæcunq; ullo in genere laus alia tribui oratori potest, conspicitur. Cum Cicerone verò proximè conjungant Cæsarem, non negligant Sallustium, Livium. Ex primâ autem & ultimâ classe non nisi eos seligant, idq; maturo judicio, qui ad Ciceronis seculum proximè accesserunt: Et ex his solùm excerpant ea, quæ probata receptaq; sunt; horrida, inculta, & inusitata relinquunt; Ante omnia verò corpus orationis ad Tulliani styli normam effingere, unicè studeant. Dementia enim magna est, imò furor & insania; Ciceronis & similium autorum probatorum neglectâ dictione purissimâ, vel obsoletas fordes Pacuvij, vel (quæ nonnullorum hodiè deplorata libido est) Apuleij, Sidonij, & aliorum id generis scriptorum turbidas lacunas sectari; Et sic clarissimæ luci doctrinarum & artium rursus tetram caliginem, horrendasq; tenebras de industriâ offundere. Id profectò nihil aliud est, quàm barbariem priscam, vix multo labore depulsam à majoribus, iterum plenis veluti quadrigis in scholas & Lycæa passim invehere. Quæ verò de solutâ jam oratione dico, ea de ligatâ similiter

*Media h. e.
Ciceroniana ætas
præcipue imitanda.*

Scriptores primæ & ultimæ ætatis seligendi optimi.

In primis se-
quendus in E-
locutione lati-
na Octavius
Augustus.

intelligi volo; ut eos potissimum Poetas sibi deligant ad-
dolescentes studiosi, qui in illo veræ ac genuinæ latinita-
tis flore vixerunt. In aliis verò optima tantum ad imi-
tandum sibi proponant; quæ sunt inusitata, exoleta, hor-
rida, prorsus relinquunt & fugiant. In utroque genere
tandem meminerint eorum, quæ præclare Suetonius de
OCTAVIO AVGVSTO, aurei illius ac verè Latini seculi
principe, scripsit: *Genus (inquit) dicendi secutus est elegans
& temperatum, vitatis sententiarum ineptiis atque inconcinni-
tate, & reconditorum verborum, ut ipse solitus est dicere, fœto-
ribus; præcipuamque curam duxit, sensum animi quam apertissi-
mè exprimere. Cacozelos & antiquarios, ut diverso genere
vitiosos, pari fastidio sprevit. Mæcenatis sui μωροβροχῆς (ita
enim appellitabat) cincinnos subinde imitando per jocum irrisit.
Sed nè Tiberio quidem pepercit, exoletas interdum & recon-
ditas voces aucupanti. M. verò Antonium solitus est, ut
insanum, increpare; quasi scribentem ea, quæ mirentur potius
homines, quam intelligant.* Hæc Suetonius. Sed de argu-
mento hoc (quemadmodum dixi) uberiolem à me dis-
sertationem suo tempore expectabit Iuventus studiosa:
Cum dicendi finem me facere nunc oporteat; nè diutiùs,
quam par est, lectissimum hoc Auditorium detinere, aut
etiam virorum excellentissimorum æquanimitate, quam
mihi in auscultando declararunt, datâ quasi operâ, abuti
velle videar. Id unum mihi reliquum est, ut denuò
commonefaciam adolescentes hosce ingenuos & do-
ctrinæ eruditæ studiosissimos, nè vel perversâ aliorum
imbuti opinione spernant, vel ipsi quoquo modo fastidi-
ant & negligent hæc studia, sine quibus jam intellexere,
neque ad Philosophiæ cognitionem solidam, neque ad lau-
dem eruditionis veræ in ullâ aliâ disciplinâ se pervenire
posse.


Itaque in primis ad
literatam ju-
ventutem re-
petita.

posse. Agnoscant potiùs animis gratis hæc dona do-
 ctrinarum & artium, verè *θεόδοτα*; & in iis, hoc præser-
 tim ætatis flore, quantum possunt, studii & operæ po-
 nant. DEVM quoq; præpotentem piis precibus sollicita-
 re non desinant, ut præclara hæc *κμήλια* nobis & poste-
 ritati clementer conservet; & avertat ab hisce salutari-
 bus studiorum liberalium officinis, quicquid turbare pi-
 etatis & literarum doctrinam, aut quoquo modo con-
 vellere eandem & obscurare potest; Regat deniq; spiri-
 tu sapientiæ, & benignè fortunet tam docentium quàm
 discipulorum labores & conatus omnes, ut fructuosè servi-
 ant propagandæ in his terris gloriæ divinæ, & generis
 humani conservandæ societati: Idq; propter Filium Me-
 diatorem nostrum, *λόγον συναίδιον καὶ ὁμοῦσιον*; cui sit
 laus, honor, & victoria, DEO vero ac glo-
 rioso, seculis sempi-
 ternis.



D 3

APPEN-


 APPENDIX SEV NARRA-
 TIVNCVLA DE INITIIS ET PROGRESSV
 LITERATVRÆ POLITIORIS IN HAC
 Academia; referenda ad pa-
 ginam, 16.

*Georg. Hel-
tus Fr.*

*Rich. Crocus
Brit.
Joh. Metzler
Sil.*

Ipsam venit CAMERARIVS, studio-
 rum causâ, deductus à matre, ætatis anno XIII.
 qui & ipse decimustertius erat, post Millefi-
 mum, quingentesimum, à nato CHRISTO.
 Traditus est privato Præceptori (ut semper observatum
 in hac Academiâ fuit) GEORGIO HELTO Vorchemio
 Fr. viro docto, & in juventute erudiendâ planè (ut ipse
 loquitur Camerarius) heroico magistro. Huic adhæsit
 totum quinquennium; & feliciter initia posuit ejus do-
 ctrinæ, è qua fructus postea uberrimus in omnem rem li-
 terariam redundavit. Simul venerunt eo tempore in
 hanc Academiam, squalentem adhuc foedâ barbarie, viri
 apprimè periti Lingvæ Græcæ, RICHARDVS CRO-
CVS Britannus, & qui illum in inferiore Germania audi-
 verat, IOHANNES METZLERVS Vratislaviâ Silesio-
 rum oriundus, non inferior ille præceptore. Hi ambo
 aliquandiu docuerunt Græcas literas; Et præcipuè Cro-
 cus suâ industriâ multorum in hoc genere studia excita-
 vit. Præ cæteris verò CAMERARIVM adolescentu-
 lum adhuc, ob cupiditatem ejus discendi literas Græcas,
 & celeres in iis progressus, amavit plurimùm; & inter-
 dum, cum aliis negotiis occupatus esset, præscripsit illi,
 quæ Auditoribus suo loco publicè dictaret. Quam con-
 suetudinem postea, cum propter valetudinem adversam,
 vel

vel aliis de causis, ipse Camerarius operas doctrinae publice obire non posset, ne quid negligeretur, etiam observavit. CROCO deinde, cum reversus esset in patriam, successit in Graecae linguae Professione PETRVS MOSELLANVS, ex Trevis munificentia Illustrissimi Ducis Saxoniae GEORGII accitus; homo quidem per exili corpore & juvenili adhuc aetate; sed ingenio grandi, seniliq; animo; qui docere Graecam literaturam, doctrinaeq; eruditae famam Academiam hanc illustrare coepit, anno Christi, post M. D. XVII^{mo}, eodem ferme tempore quo etiam MELANCHTHON ad docendas bonas literas VVittæbergam ex Academia Tübingensi accersitus est. Sed nondum abierat octennium, cum fato functus MOSELLANVS (in ipso flore aetatis, vix superato aetatis anno XXX.) opus hoc doctrinae eximium, inchoatum reliquit in hac Academia; neq; inventus est postea, qui nominis & doctrinae aliquam celebritate illi responderet; donec mediocri post temporis intervallo, advocatus in hanc scholam, singulari providentia DEI, CAMERARIVS (auditor & discipulus quondam Mosellani) extremam, quod dicitur, manum adderet operi, conjunctisq; cum MELANCHTHONE consiliis & operis, hoc literatae eruditionis & doctrinae veluti splendidissimum aedificium, DEO rem fortunante, feliciter absolveret. Sed haec alterius loci sunt; & hic propter adolescentes studiosos, saltem obiter attingenda fuerunt.

Petrus Mosellanus.

Phil. Melanthon VVittæbergam vocatus.

P. Mosellanus mortuus anno Christi 1524. 13. Kal. Maias. anno aetatis, 31.

Camerarius accersitus in hanc Academiam. Anno Christi. XLII.

SEQUITVR PROGRAMMA

Ad studiosam juventutem;

PVBLICE PROP.

Sub nova Professionis ingressum;

M. Martio, anno CIO. IOG. VIII.

VTRIVSQUE LINGVÆ
ET HISTORIARVM
STVDIOSIS S.

DElata est ad me, post obitum viri clarissimi & ex
dignis, Dn. MATTHÆI DRESSERI, Doctoris lin-
gvarum & Historices in hac Academia laudatissimi,
Professio ordinaria literarum Græcarum & Latinarum, conjun-
cta cum veterum utriusq; lingvæ Historicorum principum inter-
pretatione; quod quidem utrumq; docendi munus, post CA-
MERARIUM, communem quondam hujus Academia, imò
Germania Præceptorem, totos annos septem & viginti, magnâ
cum laude, noster ille paxapitns sustinuit. Optarim autem ego,
idq; ex animo, munus hoc Professionis novæ, grave profectò &
difficile, magno juventutis literatæ commodo, tradi potuisse cui-
vis sanè alteri; cujus fortè & ingenij vis acrior, & doctrina e-
ruditio major, in hoc præsertim genere studiorum, existeret. Non
enim ita sum inops animi, ut quàm ampla ac latè patens hac
Professio sit, & quantam ingenij & doctrinæ copiam faculta-
temq; desideret, non intelligam: Neq; tantum mihi sumo, ut in
hiscè literis (quanquam in iis jam meliorem ætatem contrivi)
cum Antecessoræ excellentiâ & doctrinâ exquisitâ meam
hanc tenuitatem, quam libens agnosco, adæquari ullo modo posse
confidam. At dum rursus in mentem mihi revoco judicium
gravissimum inclyti Ordinis Philosophici in hac Academia, quod
Rescripto peculiari comprobavit ac confirmavit serenissimus
Saxoniæ Dux & Elector CHRISTIANVS II. & c. Princeps &
Dominus noster clementissimus; fateor equidem ita me erigi ac
confirmari in hoc aditu muneris novi, quamquam difficilis &

opero.

post 4. fol.
p. 29

operosi, ut de eventu laborum meorum, & operarum mediocri,
divinâ opitulante gratiâ, minimè desperem. Nam sæpè etiam
ab imâ sorte (attestante Pindaro)

Πρὸς ἄκρον δεξιᾶς
ἦλθον, οἷτε πόνων
Εὐδοκίαντο· σὺν θεῷ δὲ τύχῃ.

Ad summum virtutis
Emerferunt, qui labores
Gustârunt; Dei tamen auxilio.

Hoc igitur utroq; laboris & auxiliantis Dei, fultus subsidio, im-
positum munus suscipio; Et, quod faustum fortunatumq; sit, ex
Lycéo Philosophico Aristotelis, in quo nature contemplationi
opera à nobis data est hætenus, in hortos Scriptorum utriusq;
Lingua & Historicorum amœnissimos transeo. Ad eosdem quo-
que studio & operâ lustrandos assiduâ, peramanter invito ado-
lescentes literatos & ingenuos, quotquot sunt (esse autem om-
nes debent) qui laudem eruditionis & doctrinæ solidam appe-
tunt. Non solum enim hic invenient, quod cognitione liberali,
& scientiâ eruditâ animos instruat; Sed & Linguarum noti-
tiam utilissimarum, & copiam orationis, elegantis & disertæ,
eâdem operâ sibi comparabunt. Qui nimirum proximi duo
FINES sunt STUDIORUM liberalium; ad quos, tanquam ad
scopum geminum, omnem discendi conatum, omnem auctorum
ἀειγιαν, omnes vigilias, lucubrationes, laborem deniq; omnem
à studiosâ juventute referri oportet. Græci rotundè & eleganter
Finem alterum dixerunt σοφίαν, h. e. sapientiam, aut, si mavis, in-
telligentiam, quæ cognitionem rerum & scientiam omnem
complectitur: Alterum Δύο μὲν ἐπιπέδων, i. e. faculta-
tem oratione perspicuâ & disertâ explicandi res quasvis, mente
involutas & reconditas, in omni doctrinarum & Artium ge-
nere. Quæ quidem una vis, in eloquendo posita, tantum mo-
menti

E

menti

menti affert ad decus & laudem sapientia vera; ut sine hac,
 dignitas omnis & splendor eruditionis & doctrina, quantum-
 vis egregia, evanescat. Ut verò finem utrumq; melius assequan-
 tur adolescentes studiosi, omni curâ & diligentia carere de-
 bent, ne (quod per imprudentiam hodie fit à plurimis) divorti-
 um omnino faciant Græcarum literarum & Latinarum, abie-
 ctisq; aut omisis illis, has solas ad eruditionis veræ gloriam suf-
 ficere existiment; sed consilium audiant Ciceronis, sapientissimi
 & optimi Patris, qui filium adolescentem, Marcum Ciceronem,
Athenis Philosophiæ vacantem, præclare monet, ut cum Græcis
Latina diligenter coniungat, & parem orationis utriusq; facul-
tatem sibi comparare studeat. Id enim à se quoq; factitatum
 affirmat Cicero pater, non solum in Philosophiæ studiis, sed etiam
 in dicendi exercitatione; Ac plurimum sibi, ad dicendum & ju-
 dicandum, profuisse rem illam; tum etiam multis aliis doctis
 viris, & ad sapientiæ & ad eloquentiæ vim, magnum adiu-
 vementum attulisse. Et quis est, qui ignoret, Latinorum linguam
multis modis auctam ex Græca & locupletatam fuisse; ac pro-
inde literaturam omnem Latinam sine Græca mancã quo-
dammodo atq; imperfectam esse? Quis est, qui nesciat, linguam
 hanc (Græcam dico) veluti arcam nobilem esse, in qua thesauri
multarum maximarum rerum, earum quas bona litera polli-
centur, reconditi sint? Nihil enim in ulla Philosophiæ parte;
 nihil in artibus dicendi & ratiocinandi; Nihil in disciplinis de
motibus corporum cœlestium, de natura rerum, de moribus, de
corporum valetudine ac remediis morborum est, quod non to-
tum monumentis Græcorum, è quibus tanquam uberrimis lim-
pidissimisq; fontibus omnis earum rerum cognitio haurienda est,
 contineatur. In sacrosancta autem Theologia (ne quid amplius
 dicam de aliis disciplinis) quis lingue huius utilitatem neget;
 cuius beneficio novi Testamenti libros, in quibus fons unicus
 vita

vitæ & salutis humana ostenditur, sine interpretis ope legimus;
 orthodoxos & sanctos patres, quot quot Græcè scripserunt, cum
 fructu evolvimus; & hæreses antiquas, passim hodie renasceren-
 tes, veteris Ecclesie gladio, h. e. verbis & sermone jugulamus?
 Quæ nimirum omnia eò pertinent, ut videat & perspiciat ju-
 venis studiosa, non posse vel in hisce nostris literis & Artibus,
 quas humaniores dicimus, vel in illis sublimioribus disciplinis,
 cum fructu eruditionis solida, versari quenquam, qui non cogni-
 tionem aliquam Græcarum literarum cum oratione Latina pu-
 ra, eleganti & disertâ coniungat. Quæ in re ne ego desim
 meo officio, optimos quosque & disertissimos in utraq; lingua
 Scriptores seligam; & hos deinceps, cum Deo, eo loco & tempo-
 re, quo id fieri hætenus consuevit, adolescentibus ingenuis, La-
 tine & Græcæ Literatura studiosis proponam; operam daturus
 sedulo, ne vel in interpretando perspicuitatem, vel in docendo
 fidem & diligentiam meam desiderare aliquis jure possit. Et
 quia sic statuo, cum omni saniori antiquitate; Eloquentiæ
 Romanæ Principem, veræq; & incorruptæ Latinitatis
 Magistrum incomparabilem esse C I C E R O N E M; in
 Latinis quidem literis, ab hoc autore exordium meritò Professio
 nostra capiet. Nec dubium mihi est, operam in hac re meam
 qualemcumq; elegantioris Literatura cupidis adolescentibus non
 ingratham fore; imò non infructuosam aut inutilem; cum præ-
 sertim autor hic fontis instar uberrimi sit, è quo non solum ora-
 tio pura, elegans, ornata & copiosa, sed etiam varia rerum op-
 timarum cognitio, sine qua disertus aut eloquens nemo rectè
 dicetur, eodem labore hauriri potest. Cum Cicerone verò, Co-
 rypheo Latinorum oratorum, permutatis operis, suo tempore
 coniungam in eadem lingua paucos quosdam alios, præsertim
 Historiæ Romanæ scriptores veteres; sed non nisi probatissimos
 illos & optimos; quales præcipuè aurea illa Ciceronis ætas tulit.

*Ve enim in ea me heresi nequaquam esse profiteor, quae verba
 solum Tulliana in dicendo & scribendo, nimis anxie, interdum
 etiam satis ineptè consecratur; Ita rursus sectam istam, quae
 per omne genus autorum promiscuè vagatur, nec delectum ver-
 borum & dictionum, modumve imitationis verae ac legitima
 ullum tenet, nullo modo me probare posse, minimè dissiteor. Tan-
 tum abest, ut illos probem aut juventuti nostrae sequendos exi-
 stimem, qui Tullianam dictionem, ut nimis simplicem & pla-
 nam, de industria fugiunt; In ceteris autem linguae Latinae
 scriptoribus (imò saepe tantum in vulgatis aut novis, quae extant
 in hoc genere, Dictionariis & Thesauris, ut vocant) ita ver-
 santur, ut relictis verbis usitatis, puris, propriis, ea tantum, quae
 prisca & exoleta sunt, & à communi loquendi consuetudine re-
 mota, curiosè conquirant undique, & ad dicendi scribendiq;
 usum conferant; Id nimirum sentientes, quod olim Sisenna vi-
 tio datum fuit, Rectè loqui nihil aliud esse, quàm loqui in-
 usitatè, & quod mirentur potius homines, quàm intelligant.
 Quae res quanquam cum pernicie summà literarum & artium
 bonarum coniuncta est; ita tamen hodie multorum fascinavit
 animos, ut contra solis amoenissimos radios (verbis utor cuius-
 dam amici mei, viri magni) claudant oculos, & luci, quod dici-
 tur, tenebras anteferant, h. e. ut florida Latinitatis & Elo-
 quentia germanae prae fragrantissimis posthabitis, horrida
 nescio cuius novi ac confragosi styli dumeta sectentur. Sed de
 his alius fortè dicendi locus commodior esse poterit. Nunc de
 Graecis literis & Historica lectione pauca quaedam adjicio. Pro-
 positi sunt haecenus Graecae linguae studiosis in hac Academia au-
 tores principes in utraq; oratione, solutà & numeris Poëticis
 adstricta, veluti sunt Demosthenes, Homerus, Euripides, So-
 phocles, & quidam alij; Quos etiam in posterum, tanquam
 duces & antesignanos Sapientiae & Eloquentiae Graecae in hac
 schola*

schola retinebimus. Sed quia iam in exordio Professionis nova,
 Græcas literas & Historica coniungi oportere mihi visum fuit,
 certas ob causas; explicandum è multis selegi HERODOTVM ✓
 Halicarn. Græcum Historicum, antiquissimum & suavissimum;
 cuius auctoris libros singulos studiosis adolescentibus (ne toto gra-
 ventur opere) seorsim excusos Bibliopola brevi dabit. Ex huius
 scriptoris interpretatione fructum utrumq; nostri auditores, si
 volent, percipere poterant; ut nimirum & rerum multarum
 pulcherrimarum inde cognitionem hauriant, & simul Græca
 linguæ noticiam, orationisq; pura & elegantis sibi copiam eo-
 dem labore comparent. Nam orditur Herodotus suam Histori-
 am mox ab eo tempore, quo Prophetica finitur Historia, literis
 sacris descripta; & continuâ serie annorum ducentorum & qua-
 draginta, res gestas diversarum gentium in Lydia, Persia, Ae-
 gypto & Græcia, florentissimis nimirum orbis terræ partibus,
 persequitur; tantâ quidem felicitate, ut omnibus ceteris Histo-
 ria scriptoribus Ethnicis, non solum antiquitate rerum, exempla-
 rumq; multitudine; sed etiam inimitabili purissimæ & dulcissi-
 mæ orationis elegantia & suavitate, jure merito existimetur
 antecellere. Inter alios certè magnum istud Academia nostra
 lumen, dum vixit, CAMERARIVS, tantum huic auctori soli-
 tus est tribuere, ut nullum omnium aliorum huic meritò ante-
 poni posse censuerit; cuius etiam Lectioni facultatem eam Græ-
 ca lingua, qua parem suâ & nostrâ ætate neminem habuit, ma-
 gna ex parte se debere fassus est. Sed de his alibi plura. Nunc sa-
 tis sit, institutum saltem meum indicasse juventuti studiosæ;
 quam eadem hac operâ ad audiendam, proximo die Mercu-
 rii, de utriusq; Linguæ studio dissertationem meam, a-
 manter invitata cupio. Res, auxiliante Deo, peragetur in Col-
 legio Paulino, p. mer. horâ III. B. valete, PP. Lipsiæ, die 6. M.
 Martij, Anno Christi 1608.

M. Io. Fridericus Fr. Vtriusq; L. & Histor. Professor.



Ad V. Eximium & præstantiss.

M. IOANNEM FRIDERI-
CVM FRANCVM, VTRIVSQUE LIN-
GVÆ ET HISTORIARVM PRO-
fessorem in Academia Lips.

L Ipsa te tenuit, CAMERARI, Francia misit:
Illa dat huic doctos grata proinde viros.
Hinc igitur Francis, hinc & tibi, Lipsia, grator;
Grator discipulis hinc CAMERARIACIS.
Grator & Europæ; quin toti gratulor orbi,
Quòd CAMERARIACIS discipulis fruitur.
TE SVCCESOREM quòd habet CAMERARIUS ille,
Gratulor hinc fatis, IAN-FRIDERICE, tuis.

*M. Balth. Crusius Eccle-
siastes Syranus.*



A D Dn. M. IOANNEM
FRIDERICVM, VTRIVSQ. L. ET HISTOR.
PROFESSOREM PVBL. PRÆCE-
ptorem observandum;

G R A T V L A T I O


Christophori Glaseri Vu. Al. Elect.

D Vlce decus Sophiæ, nostri pars magna Lycei,
Cui Grajùm instillat Suada Pelasga favos:
Quonam cultores Musarum carmine plausus
Mittent? quaq; Tibi munera mente dabunt?

Si mihi

Si mihi Pactolus flueret, donaria ferres ;
Sed nostræ arca domus pallet ab ære minùs.
Non ita Pellæi gens fortunata Canopi,
Fœcundo ex Nilo gaudia multa capit :
Vt Clariæ gaudent, Te præceptore, cohortes,
Ob spartam, PRINCEPS quam Tibi SAXO dedit.
Hoc tua promeruit virtus, doctrinaq; multa,
Quæ meritos meritis laudibus accumulât.
Te Dea Fama Virum tollit prælustribus alis,
Elatum argutis clarat ubiq; tubis.
Armis eloquii munit te Tullius ; immò
Scita Stagiraus dat tibi senfa senex.
Maçte novo titulo, templum Virtutis anhela,
Atq; adyta, ignavis non adeunda, tene.
Posthac consuetas horas tractabis utramq;
Linguam, & Grajorum didita facta Ducum.
Fontibus ex ipsis præmanat purior unda ;
Aspergit sordes fœda lacuna suas.
Addo etiam, Tulli referes monumenta rogati,
Quis nullum in Latio sanctius extat opus.
Hanc igitur sortem his numeris Tibi gratulor; illos,
Præceptor placida suscipe mente, precor.
Quamvis majori deberes carmine dici :
Attamen haud temnes, quæ placuere mihi.
Nunc IOVAM orabo, det robora ut ille labori,
Digneturq; tuum rore rigare caput.
Idem sufficiat nervos viresq; docenti,
Et reprimat Musis quicquid obesse potest.
Sic Te perpetuâ celebrabunt laude nepotes,
Fama tua & scandet Solis utramq; domum.

F I N I S.





De
G R A

ET

Quem us
mni discip
fonti


O

M. 70
Volfeshus

Ejusdem pro
tem, c

Et Appendix
gref

Lipsie Exc



Kodak
LICENSED PRODUCT

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

